

QUÆSTIO UNICA. — DE JURAMENTO FAMULI ABRAHAM, ET POSITO A SE SIGNO, QUO FUTURAM ISAACI UXOREM DIGNOSKERET.

Resp. 1. verbis S. P. Aug. lib. XVI de Civit. Dei, cap. XXXIII: *Quid aliud demonstratum est cum eidem servo (œconomus domus suæ) dixit Abraham: Pone manum tuam sub femore meo, et adjurabo te (id est volo, ut jures, sicut et, v. g., servus juravit y. 9) per Dominum Deum cœli et terræ, ut non sumas filio meo Isaac uxorem de filiabus Chananæorum, nisi Dominum Deum cœli et Deum terræ in carne, quæ ex illo femore traheretur, fuisse venturum?*

Absit autem dicere, hoc esse factum ex ritu et consuetudine gentilium: primus enim hoc fecisse legitur hic Abraham, cui promissio Messie facta erat, et hoc postea imitatus est Jacob cap. XLVII, 29: neque hæc exremonia usus est ob significationem vel reverentiam sacramenti circumcisionis, ut cum Hebræis vult Theodoretus.

Dico 2. Abraham justam causam habuit exigendi a famulo juramentum; quia sciebat Chananæas esse impias, et in patre suo maledictas, per quas ne in posteritatem suam impietas et maledictio transiret, præcavere potuit. Hinc ipsum misit in Mesopotamiam ad urbem Nachor (id est in qua Nachor habitabat) seu Haran, ubi Abraham cum patre aliquo tempore commoratus fuerat, quamque cognatio ejus inhabitabat.

Dices: Domus Nachor more Chananæorum idola colebat, ut patet ex cap. XXXI, 50 et alibi, ubi legitur Rachel furata fuisse sui patris idola, etc.; ergo non erat ratio sub juramento mittendi famulum in Haran potius, quam alio.

R. Neg. conseq. Quia equidem domus illa aliquid de cultu unius Dei noverat et servabat, adeoque cum idolis simul Deum cœli colebat; ut patet hic ex y. 31: erat insuper hæc domus bene morigerata; ut eruitur ex contextu hujus cap.; neque erat a Deo maledicta, etc., Voluit ergo ex hac familia Abraham filio suo de uxore provideri, ut sic promissiones sibi divinitus factas, per matrimonium ad cognatos deduceret, eosque ab idololatria revocaret.

Dico 3. Non peccavit famulus Abraham y. 14 præfigens sibi signum, illam virginem esse divinitus destinatam in uxorem Isaac, quæ non tantum sibi, sed et jumentis potum daret. Verum quidem est, quod tentatio Dei esse censeatur, qua, sine causa legitima, ex signis secundum se indifferentibus, quæ tam voluntatem Dei indicare possunt quam non, certum formamus judicium id potius velle Deum fieri quam aliud. Attamen servus ille ex instinctu Dei vel angeli (quem prædixerat Abraham, hic y. 7, ubique in hoc negotio affuturum) hoc sibi signum constituit, idque non nisi humili prece ad Deum præmissa.

Præterea nec signum illud erat omnino indifferens, utpote cum ex eo moraliter nosci posset indoles bona alicujus puellæ; utrum nempe provida esset et hospitatis, maxime peregrinis, qualem sciebat Abraham filio suo desiderare.

Denique eventus ex voto secutus ostendit id a Deo fuisse suggestum. Simili instinctu Gedeon ex somnio Madianitæ, Jud. VII, 15, et Jonathas, I Reg., cap. XIV ex verbis Philistinorum futuræ victoriæ omen captaverunt.

CAPUT XXV.

Abraham ex Cetura uxore secundaria suscipit sex pueros; et moritur, quemadmodum et filius ejus Ismael, postquam hic genuit duodecim duces. Rebecca parit Isaaco geminos Jacob et Esaü, quorum minor a Deo præfertur majori, qui primogenita sua minori divendit.

QUÆSTIO I. — DE CONJUGIO ABRAHÆ CUM CETURA ET MORTE ILLIUS PATRIARCHÆ.

Dico 1. Abraham (mortua Sara, et Agar dimissa, et forte etiam defuncta) aliam duxit uxorem nomine Ceturam; ut dicitur y. 1: proinde errant Hebræi qui, ut testatur S. Hieron. in tradit. heb., putant hanc esse Agar, de concubina factam uxorem, nam y. 6. Abraham filiis concubinarum largitus est munera: ubi significatur, eum plures habuisse uxores secundarias. Hoc matrimonium fuisse distinctum a priori contracto cum Sara et Agar, etiam insinuat phrasid hebraica, in qua dicitur: *Et addidit Abraham, et accepit uxorem.*

Dico 2. Causa ducendi hanc uxorem, nullo modo incontinentia fuit (*absit enim, ut incontinentiam suspicemur, præsertim in illa jam ætate, et in illa fidei sanctitate*, ait S. P. lib. XVI de Civ. Dei, cap. XXXIV) sed causa litteralis fuit, ut una cum pueris cultus Dei inter gentes propagaretur, inquit Jansenius et Menochius, qui addit id factum instinctu divino.

Dico 3. Causam mysticam addit S. P. loco mox citato: ut sicut, Apostolo teste, per Agar et Ismael significationi fuerunt carnales Vet. Testamenti, id est Judæi: ita per Ceturam et filios ejus designarentur carnales Novi Testamenti, utique hæretici.

Dico 4. Deditque Abraham cuncta quæ possederat, Isaac, ut dicitur y. 5: id est, eum hæredem omnium constituit, idque ex voluntate Dei, quam declaraverat Sara, cap. XXI, 10, et approbaverat Deus, dum ibidem y. 12 jubebat Saram audiri. Donatio hæc facta videtur, saltem quoad bona Saræ, antequam Isaac cum Rebecca contraheret; ut patet ex verbis famuli Abraham, cap. XXIV, 36.

Dico 5. Filiis autem concubinarum (Agar et Ceturæ) largitus est munera; puta aurum, argentum, vestes, pecora, etc. Sensu allegorico dicit S. P. Q. 70 in Gen.: *Munera quæ acceperunt filii concubinarum, videntur mihi significare quædam dona Dei, vel in sacramentis, vel in aliquibus signis, etiam carnali populo Judæorum, et hæreticis data, velut filiis concubinarum; cum hæreditatis munus, quod est caritas et vita æterna, non nisi ad Isaac pertinet, hoc est ad filium promissionis.*

Dico 6. Abraham y. 8 deficiens (non vi morbi, sed præ senectute) mortuus est in senectute bona, cum esset 170 annorum; mature et tempore suo, sive ætatem, sive merita spectes. *Plenus dierum* (vivendi

satur, ut habent Hebræa, et cupiens dissolvi) congregatusque est ad populum suum.

Hoc non potest intelligi de corpore, quod cum suis in patria sepultum non est: unde hinc Theod. Lyranus, et Pererius 1. eruunt immortalitatem animæ. 2. Animas defunctorum non vivere solitarias, sed socialiter quasi in populo, sive in cœlo sive in limbo, ubi erant tempore Abrahæ. Dicitur ergo congregatus ad populum suum, id est ad societatem justorum (puta Heber, Noe, Seth, Abel, Adam, etc.) cui populo, juxta S. P. Q. 168 in Gen. dicitur quis apponi, quando nulla remanet sollicitudo tentationum, et periculum peccatorum, quibus separaretur a populo Dei.

Dices: Etiam de malis legimus (puta de Ismaele hic y. 17) illos ad populum suum appositos esse: ergo phrasid illa hic non significat quod Abraham congregatus sit ad societatem justorum.

R. Quidquid sit de salute vel damnatione Ismaelis, si id revera legatur de malis, nihil mirum: nam et malorum animæ immortales sunt, et cum populo suo, id est sibi similibus, in pœnis communicant. Atque ita hæc phrasid eandem significationem habet in bonis et in malis: nisi quod illic ad gloriam, hic vero pertineat ad pœnam. Ita Marius.

QUÆSTIO II. — QUID INDICET HIC ORACULUM DIVINUM DE GEMINIS, ADHUC IN UTERO REBECCÆ CONCLUSIS.

Cum Isaac deprecatus esset Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis, ut habetur y. 21, exaudivit eum et dedit conceptum Rebecca. In hebræo pro deprecatus est ponitur verbum *Jethar* a radice *Athar*, quod significat instanter, et multum orare: unde S. Chrysost. censet Isaacum in eum finem 20 annis orasse: nam Isaac duxit Rebeccam anno ætatis suæ 40, et tantum anno 60 genuit ex ea Jacob et Esaü.

y. 22. *Sed collidebantur in utero ejus parvuli.* S. P. Aug. lib. XVI de Civ. Dei, cap. XXXV, legit: *Gestiebant gemini adhuc in utero ejus inclusi.* LXX legunt: *Exultabant, exultabant.* S. Hieron. vertit: *calcitrabant.* Symmachus: *colluctabantur;* dum scilicet uterque nititur primum in lucem prodire. Hæc lucta non vi naturæ aut casu, sed Dei nutu contingit; uti mox matri divino innouit oraculo.

Dico 1: Ob rem tam insolitam consternata Rebecca ait: *Si sic mihi futurum erat* (id est, si mihi abortientum erat, et una cum parvulis moriendum, id enim timebat Rebecca) *quid necesse fuit concipere? Perrexitque ut consuleret Dominum.* In monte Moria per Melchisedech, inquit Eusebius et Gennadius.

Sed multo probabilius Theod., Diodorus, Procopius et alii censent, Rebeccam ad oratorium et domesticum altare se contulisse, ibidemque Deum orasse, et de tam insolite rei eventu eum consuluisse: prægnans enim erat, et itineribus faciendis minus idonea.

Dico 2: Versu 23 respondens (Deus per angelum) ait: *Duæ gentes sunt in utero tuo* (id est duo filii, qui erunt patres et capita duarum gentium, Idumæorum scilicet et Judæorum) *et duo populi ex utero tuo divi-*

dentur (id est moribus, animis, legibus, religione, et habitatione separabuntur) *et major serviet minori.* Id est, primogenitus Esaü serviet Jacob secundo genito, non in sua persona (hoc enim nusquam factum legitur, imo potius Jacob submitit se Esaü), sed in posteris suis: Judæi enim posteri Jacob, quasi soli hæredes Abrahæ, possederunt terram promissam Chanaan, eisque servierunt Idumæi posteri Esaü. Quare

Dico 3. *Historica proprietate hoc responsum invenitur esse completum, ubi populus Israel, hoc est Jacob minor filius, superavit Idumæos, eosque fecit tributarios, per David* (II Reg. VIII, 14) *quod diu fuerunt usque ad regem scilicet Joram, sub quo Idumæi rebelaverunt, et jugum Israelitarum Idumæi a cervice sua deposuerunt.* Ita S. P. Q. 73 in Gen. Sed Hieron. iterum eos subjugavit, et circumcidi fecit; ut testatur Josephus lib. XIII Antiq., cap. XVII.

Dico 4. Quamvis S. P. hunc sensum ut litteralem admittat, tamen in aliquid majus intentam fuisse istam prophetiam, pariter asserit lib. XVI de Civ. Dei, cap. XXXV. *Quod enim dictum est: Major serviet minori, nemo fere nostrum, inquit, aliter intellexit, quam majorem populum Judæorum minori populo christianorum servitutum.* Sic etiam intellexit S. Cyprianus lib. I adversus Judæos cap. XIX, Ambrosius, et alii passim.

Dico 5. In sensu mystico electio Jacob et reprobatio Esaü quoad bona temporalia, significat electionem et reprobationem hominum quoad vitam æternam; ut clare docet Apost. ad Rom. IX, 15: et ideo ibidem Jacobum proponit tanquam typum electorum, Esaü vero tanquam typum reproborum. Cæterum desuper plura alibi.

QUÆSTIO III. — AN, ET QUOMODO PECCAVIT ESAU VENDENDO, ET JACOB EMENDO PRIMOGENITA.

Resp. et dico 1. Esaü in hoc facto peccasse, certum est apud omnes; siquidem ob hoc factum arguitur et culpatur ab Apost. ad Heb. XII, 16. Unde

Dico 2. Eum peccasse 1. gula; quia ad pulmenti conspectum et odorem, tanta ventris appetitusque satiandi aviditate abreptus fuit, ut quidquid ipsi pretiosissimum erat, exigui illius cibi comparandi causa non erubuerit abdicare. Unde ubi textus noster y. 50 habet: *Da mihi de coctione hac rusa*, hebræus indicat nimiam aviditatem et gulositatem Esaü; sic enim habet: *Obtege me, obrue me, imple me de ruso, ruso isto.* Ubi ut loquitur S. P. Aug. lib. XVI de Civ. Dei, cap. XXXVII. *Discimus in vescendo, non cibi genere, sed aviditate immoderata quemcumque culpandum.*

Nec refert, quod dixerit: *En morior;* nam id non nisi falsus prætextus fuit, quo aviditatem suam tegetet; facile enim erat in domo tam opulenta alios cibos invenire ad famem sedandam. Estius sic exponit: *En morior*, id est, vita mea brevis est, paulo post moriar, præsertim cum exerceam artem periculosam, scilicet venatoriam, in qua facile continget me invadi

et lacerari a fera quapiam; tunc *quid mihi proderunt primogenita?*

2. Peccasse videtur perfidia, et perjurio; postquam enim dixit ei Jacob, *ŷ. 33: Jura ergo mihi* (scilicet quod mihi cedas jus primogenituræ, eoque pacifice me frui permittas), *juravit ei Esau, et sumpto lentis edulio... abiit parvi pendens, quod primogenita vendidisset*, ut dicitur *ŷ. 34*: quia scilicet non habebat in animo contractum suum hic juramento firmatum servare: unde sine ullo scrupulo jus hoc sibi reipsa vindicare voluit, perinde ac si illud non alienasset; ut patet ex cap. XXVII.

3. Peccavit sacerorum contemptu; quia primogenituram, quæ habebat annexum jus sacerdotii; vel saltem, quæ propter paternam benedictionem peculiare Dei donum erat illo tempore, pro vilissima esca vendidit.

4. Videtur etiam peccasse simonia; quia jus primogenituræ totum, ac consequenter jus sacerdotii, quod spirituale erat, vendidit. Id insinuare videtur S. P. Aug. epist. XXXVI, edit. Paris. ita scribens: *Adam non cibis, sed prohibitus cibis perdidit, et Esau nepotem S. Abraham non esca, sed usque ad contemptum sacramenti, quod in primatu suo habuit, concupita esca damnavit*. Porro sacramentum illud, quod in primatu suo habuit Esau, seu quod ejus primogenituræ annexum erat, nihil aliud apparet fuisse, quam jus sacerdotii; ergo.

Insuper idem sufficienter innuit Apost. ad Heb. XII, 16, appellans eum PROFANUM. *Ne quis, ait, sit fornicator, aut profanus, ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua*. Ubi vox fornicator, non est quidem referenda ad ipsum Esau, quem talis peccati reum nullibi arguit Scriptura, sed referri debet ad id quod ante dixerat Paulus, nempe sanctimoniam esse colendam; cui cum maxime repugnet fornicatio, ideo dicit: *Ne quis fornicator*. Vox autem profanus certe refertur ad Esau, qui rem ex parte sacram, et spiritualem, nempe primogenituram, cui annexum erat jus sacerdotii, vilissimo pretio vendidit. Verbum enim profanare, in Scriptura significat rem sacram polluere, vel in humanos usus convertere. Hinc dicitur Ezechiel. cap. XXII: *Sacerdotes ejus contempserunt legem meam et polluerunt sanctuarium meum: inter sanctum et profanum non habuerunt distantiam*. Igitur non ob aliam causam videtur Esau ab Apost. dictus profanus, quam quod rem sacram et spiritualem, hoc est jus sacerdotii primogenituræ annexum, ut quid corporeum et terrenum, irreligiose vendiderit.

Proinde verbis Apost. non satis conformis apparet expositio Estii, qui ex Græcis præterdit, Esau vocari profanum ex eo, quod usque adeo immundus, et gulæ deditus fuerit, ut primogenituram, quæ multis gaudebat prærogativis, propter vilissimam escam contemneret.

Dico 3. In præmemorato facto nec simoniam commisit Jacob, nec injustitiam.

Prob. Quia Jacob hic sibi vindicavit, et extorsit

jus non alienum, sed proprium; cum ex divino dono, et dispositione, juxta oraculum patri factum, illud ipsi donatum foret: atque ita non emit rem sacram (etiamsi sacerdotium primogenituræ tunc fuisse consequenter annexum supponatur) sed redemit iniquam vexam, ne a juris sui consecutione per fratrem præpediretur.

Ex quo pariter habes, quod nullam quoque commiserit injustitiam, quamvis vili lentis edulio rem quoque inestimabilem sibi assecurasset: nam sciebat verisimilius Jacob, jus primogenituræ sibi gratis deberi ex decreto divino. Unde bene prudenterque occasionem hic oblatam ultro Jacob amplexus est, qua a fratre volente et obscurante obtinuit, quod etiam ab invito poterat extorquere.

Dixi etiamsi sacerdotium primogenituræ tunc fuisse consequenter annexum supportatur; quia jus primogenituræ respectu juris sacerdotii tempore legis naturæ erat ex genere eorum, quæ antecederent se habent ad spiritualia, non autem consequenter. Nam sicut calix prior est consecratione, ita jus primogenituræ prius erat sacerdotio, et sine eo consistere poterat, quemadmodum re ipsa consistit tempore legis gratiæ, inquit Estius.

Quia ergo jus sacerdotii non erat nisi accessorium ad jus primogenituræ, quod in se et reliquis etiam secundariis seu accessoriis erat temporale, et pretio æstimabile; citra simoniæ labem id emere poterat Jacob, ut fit quotidie, inquit Tirinus, in variis dominiis, quibus annexum est jus patronatus laici.

His adde, quod Scriptura non referat, Jacob ob hoc factum fuisse a Deo reprehensum: sed rei potius probavit eventus, totum hoc negotium ex divina providentia et dispositione esse peractum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA. — Obj. I. Juxta supra dicta, simoniacus fuit Esau propter venditionem primogenituræ; ergo et Jacob propter emptionem.

R. 1. Neg. suppositum, quod Jacob jus primogenituræ emerit; cum, ut dixi, iniquam tantummodo vexam redemerit. Esau autem totum jus primogenituræ, et consequenter etiam jus sacerdotii (quod vi natiuitatis sibi competere putabat) pretio temporali vendidit. Unde

R. 2. Neg. conseq. Disparitas est, quod Esau non tantum illud, quod in primogenitura erat temporale, sed etiam quod erat spirituale, seu sacrum, videatur vendidisse: siquidem, cum minime curaverit, an jus primogenituræ temporale, an vero spirituale esset, inter unum et aliud non distinxit; sed totum, sicuti a parte rei erat, sine ulla restrictione vendidisse videtur; uti ex Apost. et S. P. Aug. ante monstratum est. At vero id minime fecit Jacob: hic enim ad summum illud, quod in primogenitura erat temporale, emisse dici potest. Dico ad summum, quia nec illud proprie, sed tantum improprie eum emisse, ex ante dictis satis constat.

Inst. I. Jacob dixit fratri: *Vende mihi primogenita tua*. Atqui venditio ex parte unius supponit emptionem ex parte alterius; ergo,

R. quod Jacob verbum *vendere* non sumpsit in rigore; nemo enim proprie dicitur vendere, quod suum non est; nemo proprie emere, quod sibi stricto jure debitum novit. Porro noverat verisimiliter ex matre Jacob, jus illud in se a Deo esse translatum. Sensus igitur erat: Da mihi primogenita in specie tua, sed a parte rei mea. Dixit ergo *vende*, tum propter ignorantiam, tum propter malitiam Esau: quia hic aliter juri præsumpto cedere noluisse.

Posset etiam distingui minor: Venditio vera a parte unius supponit emptionem ex parte alterius; concedo: venditio putativa, seu a venditore apprehensa; nego min.

Inst. II. Simoniaci essent canonici Trajectenses, v. g. si peterent sibi vendi canonicatus sub A catholicorum potestatem redactos; ergo et talis fuit Jacob.

R. Disling. ant. Si hoc peterent, antequam collationem obtinuissent a pontifice, concedo: post obtentam collationem, nego. Ratio distinctionis est, quia ante istam collationem jus nullum habent ad ista beneficia; post collationem vero jus habent, quod cum sibi aliter vindicare nequeant, licite vexam redimunt; nec simoniaci censendi essent, quamvis uterentur verbo: *Vende mihi*, etc., propter rationes jam statim datas.

Soli ergo illi culpandi sunt, qui beneficia ista pretio temporali licitantur ante jus debite acquisitum; ex quo alius fortasse oritur abusus, quod plures ad idem beneficium concurrentes (cum tamen non nisi unus, qui collationem obtinuit, jus habeat) pretium redemptionis certatim augeant: unde fit, ut non tantum sint simoniaci, qui id sine accepta collatione attentant, sed injusti insuper damnificatores, cum jus habentem vi collationis pontificiæ ab hoc jure arceant, vel saltem redemptionis augmentum inique extorqueant.

Nota interim, me hic non velle agere de modo, quo illud jus a pontifice acquiri debet: siquidem id non hanc quæstionem scripturasticam, sed theologiam concernit. Sunt enim nonnulli, qui putant absolute non requiri, ut præterdentes talia beneficia, determinate et expresse jus a pontifice acquisiverint, sed sufficere existimant, quod pretium offerant ea intentione, ut vexam nomine pontificis redimant. Cæterum cum in hoc casu intentio debeat esse valde sincera, et immunis ab omni luero temporali, videndum ne iniquitas mentiatur sibi; ut observat Dælmann Observ. 7 de Simonia.

Inst. III. Quanquam isti canonici collationem pontificiam jam obtinuissent, si tamen eandem esse factam ignorarent, simoniacæ peterent ista beneficia sibi vendi: atqui Jacob videtur ignorasse translatum in se jus primogenituræ; ergo et ille fuit simoniacus.

Prob. min. Quia cap. XXVII, 12, *Timeo, ne putet me sibi voluisse illudere* (pater meus) *et inducam super me maledictionem pro benedictione*, ait Jacob ad matrem: atqui nihil habebat timendum, si electione Dei se tunc sciret esse primogenitum; ergo.

R. Neg. min., quia non est verisimile, quod mater

illam electionem tacuisset filio, quem præ seniore tenere diligebat; ut patet hic *ŷ. 28*.

Deinde ex ipsis verbis constare videtur, quod Jacob jam sui electionem agnosceret: nam si eam ignorasset, juxta naturalem sensum potius dicere debuisset; *Timeo, ne inducam super me maledictionem pro benedictione, quia sequendo tuum consilium patri illudam, cum nullum jus habeam ad istam benedictionem*. Jam vero tantum dicit: *Timeo, ne pater meus putet, me sibi voluisse illudere*, etc., quia licet ego ex te noverim, quod electione Dei sim primogenitus, hoc tamen pater meus ignorat, qui, ex ignorantia factæ revelationis divinæ, forsitan in me maledictionem fulminabit.

Ad probat. ergo dico, quod merito timere potuerit Jacob maledictionem pro benedictione, quia electionem filii minoris pater Isaac haecenus ignorabat. Insuper licet Jacob sciret se habere jus ad paternam benedictionem, non propterea sciebat, quod eam obtinere deberet, fingendo se esse Esau: ac propterea ubi mater timenti filio reponit, *in me sit ista maledictio, fili mi* etc. *ŷ. 13*, statim acquievit Jacob, et intellexit hunc esse modum a Deo provisum, quo jure electionis divinæ paternam fratri benedictionem præriperet.

Obj. II. Qui inducit aliquem ad peccatum, reus est ejusdem criminis; atqui Jacob fratrem suum induxit ad illam venditionem; ergo.

Respondet Cajetanus, quod, etsi Jacob fratrem suum Esau excitaverit ad illam illicitam venditionem, non propterea peccaverit: sicuti nullus criminis reus videtur ecclesiasticus, qui offert pecuniam occupatori sui beneficii; non enim est hoc inducere ad peccatum, sed alii non solum parato ad peccandum, verum etiam actu peccanti (detinendo scilicet quod suum non est) offerre redemptionem secundum veritatem; quamvis secundum modum loquendi, et secundum intentionem alterius videatur esse aliud. Unde dicens Jacob: *Vende mihi primogenita tua*, revera hunc sensum facit: Da mihi primogenita, quæ vere sunt mea; et quia non vis gratis dare, offero prandium a te tantopere expetitum.

Inst. Esau ignarus divinæ ordinationis bona fide retinuit primogenituram; ergo non erat actu peccans eam retinendo; et consequenter non potuit eum Jacob ad illam venditionem inducere.

R. Neg. posteriorem consequentiam, quidquid sit de priore et antecedente: nam etiamsi scivisset Esau divinam ordinationem, non propterea cessisset; sed nihilominus primogenituram retinere voluisset. Si quidem cognita post ordinationem patris et Dei, dixit cap. XXVII, 41, *Venient dies luctus* (mortis) *patri mei, et interficiam Jacob*. Licuit ergo redimere vexationem suam ab ignorante, et quidem tanto magis, quanto minus peccandi occasionem accipit ignorans, se possidere rem alienam, quam sciens. Ita pene Cajetanus.

Ex quibus pariter exculpi potest ratio, cur Jacob fratrem suum ad hanc venditionem induxit: scilicet ut tum vi factæ venditionis putativæ, tum etiam

vi præstiti juramenti coereretur Esaü, ne quid mali attentaret in fratrem, ubi audiret, eum jus primogenituræ sibi vendicasse.

Porro quod habita justa ratione, possimus nos quandoque habere permissive ad malitiam alterius, patet in eo, qui juramentum petit ab illo, quem prævidet juraturum per falsos deos, etc.

Cæterum quod Jacob certo sciverit ex matre, jus primogenituræ in se fuisse translatum, constat ex eo, quod maternis consiliis tam facile acquieverit, dum actum fuit cap. XXVII de præcipienda paterna benedictione: neque enim verisimile est, quod vir justus, ut erat, tantam injustitiam in fratrem committere voluerit, ut sibi vindicaret, quod fratris esse putaret; vel saltem crimen committendæ injustitiæ suadenti matri non objiceret.

Revelaverat ergo Rebecca Jacobo divinum oraculum; quod tamen celavit Isaac, ne eum (qui Esaü intime diligebat (mœrore afficeret: celavit et Esaü, quia ejus furorem et indignationem rationabiliter metuebat.

QUESTIO IV. — DE QUIBUSDAM ALIIS HUC SPECTANTIBUS.

Petes 1, quale fuerit illud edulium, pro quo Esaü primogenita vendidit.

R. Versu 50 vocatur *coctio rufa* (id est suaviter rubens, forte quia eroco, coriandro, similive condimento erat tineta); erat autem facta ex lente, ut patet ex γ . 54. Hinc S. P. Aug. in Psal. 46 ait: *Deposuit primogenita (Esaü) ut manducaret lenticulam. Lenticulam autem invenimus cibum esse Ægyptiorum. Magnificatur enim lenticula Alexandrina, et venit usque ad terras nostras. Zeno autem lenticulæ alexandrinæ coriandri grana, quæ rufa sunt, misceri jubebat.*

Petes 2, quodnam fuerit in lege naturæ jus primogenituræ.

R. Erat quadruplex. 1. Itaque primogenitus erat princeps fratrum, eorumque quasi pater et dominus, adeo ut coram eo se fratres inclinarent; ut patet ex cap. XXVII, 29: quia scilicet patri in dignitate succedebat: hinc tanta veneratio Jacob erga Esaü, cap. XXXII, 4.

2. In divisione hæreditatis paternæ primogenitus duplicem portionem habebat; ut manifestum est ex Deut. XXI, 27, et I Paral. V, 1.

3. Pater moriens peculiariter primogenito benedicebat; ut patet ex cap. XXVII, 4: quæ benedictio magni erat valoris et efficacis apud Deum.

4. Post diluvium primogenitus erat sacerdos familiaris; ut ex Hebræis tradit S. Hieron. in tradit. heb. super cap. XXVII Gen. et confirmat epist. 126 ad Evagrium: *Tradunt, inquit, Hebræi, quod usque ad sacerdotium Aaron, omnes primogeniti ex stirpe Noe, cujus series et ordo describitur in Scriptura, fuerint sacerdotes, et Deo victimas immolarint; et hæc esse primogenita, quæ Esaü vendiderit fratri suo Jacob.* Hinc aliqui putant, quod in lege Moysis, levitæ loco omnium primogenitorum fuerint electi ad ministerium tabernaculi, et Aaron ac filii ejus constituti super cultum sacerdotii, ut dicitur Num. 5.

Fuit tamen hoc jus sacerdotii aliquibus non primogenitis concessum, uti Abrahamo, idque ex singulari Dei dispositione: quamvis interim etiam dici posset quod Abraham, etsi non nativitate, tamen dignitate fuerit primogenitus.

Uterius etiam hic reflectit Frassen, illam primogenitorum in sacerdotio prærogativam non exclusisse alios fratres a sacrificandi munere, dum a paterna domo sejuncti, distinctarum familiarum erant capita: alioquin solus Sem inter Noe filios sacrificandi facultatem habuisset; quod tamen non apparet verum. Igitur ante aaronicum sacerdotium, cuilibet familiarum capiti videtur liberum fuisse sacrificare, et sacerdotale munus obire. Unde sicut primogenitus succedebat in locum patris, et fiebat familiae caput, quandiu ipse cum fratribus familiam conflabat; sic illi soli hoc jus sacerdotii conveniebat, non vero aliis: ita tamen ut cæteri fratres, quamprimum aliam in familiam commigrantes, nec non ipsi familiae caput effecti, idem sacerdotii jus acquirerent; tametsi non eadem dignitate, qua primogeniti, qui in rebus omnibus antecellebant. Ita Frassen.

CAPUT XXVI.

Orta sane, Isaac in Ægyptum descendere cogitans, Dei monitu subsistit in Geraris; uxoremque suam Rebeccam præ metu vocat sororem, atque ab Abimelech ea de causa corripitur: benedicitur a Deo ac ditatur. Unde Geraritarum invidentes illi, puteos ejus obstruunt: sed animadvertentes Dominum esse cum illo, sedus et amicitiam cum Isaaco ineunt.

QUESTIO UNICA. — AN SIT IDEM ABIMELECH, DE QUO HIC, ET CAP. XX.

Resp. Probabiliter affirmative: quia idem nomen, eadem praxis abducendi in palatium regium peregrinantes apud se mulieres alienigenas, etc., equidem probabile faciunt, quod et hic et ibi de eodem rege agatur. Huc accedit, quod et hic γ . 26, et supra cap. XXI, 22, belli dux ejus vocetur eodem nomine Phicol; ut observat S. P. Aug. Q. 75 in Gen. ita scribens: *In eo quod scriptum est... « Abiit autem Isaac et Abimelech regem Philistinorum in Gerara: » queritur hoc quando factum sit, utrum posteaquam Esaü vendidit primogenita sua cibo lenticulæ; post illam quippe narrationem hoc narrari incipit: an, ut fieri solet, per recapitulationem narrator ad ea reversus sit, cum progressus de filiis ejus ad eum locum pervenisset, qui de lenticula commemoratur. Movet autem, quia ipse invenitur Abimelech, qui etiam Saram concupierat. Ipsius enim paranympus, et princeps militiæ, qui ibi commemorati sunt, etiam hic commemorantur, utrum vel vivere poterint. »*

Obj. I. S. P. ibidem dicit, historiam illam esse relatam per recapitulationem; ergo non est mirum, quod asserat, fuisse utrobique eundem.

R. Disting. ant. Dicit, historiam illam esse relatam per recapitulationem, propter diuturnam Isaac ibidem mansionem; concedo: propter profectionem in Geraram; nego ant.

Patet ex verbis ejusdem ibidem: *Non ergo ex hoc (quod quasi centenarius jam esset Abimelech) cogit ulla necessitas per recapitulationem putare narratam profectionem Isaac in Geraram; sed quia diuturno tempore ibi fuisse Isaac scribitur, et puteos fodisse et ditatum fuisse, etc.*

Igitur recapitulatio juxta S. P. necessaria non est, ut suo ordine profectio Isaac in Geraram posita intelligatur (quia juxta computum S. P. potuit illa sub eodem Abimelech contigisse post historiam de lenticula); sed recapitulatio hic necessario admitti debet propter cætera, quæ hoc cap. sequuntur. Puta quod magnificus et dives esset Isaac, quod *puteos, quos foderant servi patris ejus Abrahami, Palestini obstruxerunt*, γ . 15; quod rursus alios foderit, quos ipsi Palestini eripuerunt, etc.

Patet hæc solutio ex conclusione cap. cit.: *Sed quia ibi diuturno tempore fuisse Isaac scribitur, et puteos fodisse, et de his contendisse, et ditatum fuisse pecunia: mirum, nisi recapitulando, ista commemorantur, quæ ideo fuerant prætermittenda; ut primum de filiis ejus usque ad illum locum de lenticula narratio perveniret.* Inst. I. Post hanc profectionem, Isaac dies plures juxta γ . 8 mansit in Gerara antequam deprehenderetur esse uxoratus, dimissus inde fudit alios puteos, et deinde tantum fœdus iniit cum Abimelech; ergo saltem tunc non amplius erat idem Abimelech.

R. Neg. conseq. quia hæc omnia potuerunt esse facta usque ad annum Jacob et Esaü 40, quando Isaac agebat annum 100, et Abimelech forsitan annum circiter 150: nam dum historia Abrahami cum Abimelech contigit, jam erat promissus Isaac; adeoque tantum contigerat a 100 annis.

Porro quod historia Isaac cum Abimelech non contigerit post annum 100 Isaac, colligi videtur ex eo, quod omnibus præactis, in fine hujus cap. Esaü *quadraginta annorum* dicatur accepisse duas uxores.

Inst. II. Cum Abimelech Saram redderet Abrahamo, supra, cap. XX, scribitur habuisse uxores, ancillas, et liberos; adeoque ex tempore illo processerat in diebus suis: atqui jam admissum est, quod ab illo tempore usque ad fœdus Isaac fluxerint ut minimum 100 anni; ergo tunc non amplius vixisse videtur idem Abimelech.

R. Neg. conseq., quia illa omnia possunt verificari, dummodo Abimelech supponatur fuisse 150 annorum: potuit enim anno ætatis suæ 50 regnare in Gerara, et habere uxores atque liberos: imo si velis, dicam ipsum, nascente Isaaco, fuisse 40, et hic 140 annorum.

Inst. III. Ergo Abimelech debuit plus quam 100 annis regnasse.

R. Nihil implicare, quominus in tam longæva vita tanto tempore regnaverit, prout admittunt S. P. Aug., S. Chrysost., Josephus et alii: cum enim tunc temporis homines aliqui pertingerent usque ad annum 170 et ultra: non est incredibile, aliquos ultra 100 annos regnasse. Profecto Manasses, etsi tantum vixerit annis 67, regnavit tamen annis 55.

S. S. XXVI.

Obj. II. Licet vixisse tam diu supponatur Abimelech, incredibile tamen apparet 1. Quod in tanta ætate uxorem appetisset Rebeccam. 2. Quod eodem tempore adhuc aptus esset rebus agendis, regniq; administrationi, qualis erat hic Abimelech tempore Isaac.

R. Neg. assumpt., quia sicuti Abraham anno ætatis suæ 140 duxit uxorem Ceturam, secundam suam concubinam, sic eodem ætatis suæ anno potuit Abimelech uxorem appetere Rebeccam. Item sicut Abraham ex illa Cetura sex in ista ætate genuit liberos, sic in eadem ætate posteros ex Rebecca sperare potuisset Abimelech, si hæc non nimis senex fuisset. Unde si nonagenariam appetierit Saram, quidni et Rebeccam? Et rursus, si numerosissimæ suæ familie regendæ in illa ætate fuerit aptus Abraham, ut patet supra cap. XXV, quidni et Abimelech, qui ad lubitum assistentes sibi assumere poterat (prout reges facere solent) si regni pondere nimis gravaretur?

Inst. Saltem inconceptibile est, quod Phicol idem belli dux Abimelech tam diu rexerit militiam; cum similes bellicis laboribus frangi soleant.

R. Imprimis neg. assumpt. Quia dudum postea Moyses, licet esset 120 annorum, totamque vitam laboribus insumpsisset, attamen adhuc strenuus erat bellator.

Deinde si fractis viribus, militares labores non potuerit amplius subire corpore, sufficiebat, ad illud officium, quod regere posset mente et consilio, quod sæpe firmius est in senibus.

Obj. III. Propter raptum Saræ graviter punitus fuit Abimelech, sub quo peregrinatus fuerat Abraham; ergo non est verisimile, quod idem ille attentasset uxorem desiderare Rebeccam.

R. Neg. conseq. Quia in similem casum etiam reges optimi bona fide incidere possunt denuo, maxime palpanibus aulicis. Præterea sublatio Saræ in domum regiam ut minimum facta fuerat ab 30 annis; ad quam proinde Abimelech (qui eam ex concupiscentia non sequestraverat) potuit non reflectere: aut si reflexerit, parum curavit, dummodo esset libera: cum inter istas gentes videatur fuisse consuetudo, ut regi suo destinarent in uxores quascumque peregrinantes liberas, forma præstantes, et regi placituras.

Verum quidem est, quod solius Saræ et Rebeccæ exempla habeamus in Scriptura; sed fundate vide mur inde posse suspicari, quod alias decoras mulieres liberas ipsi adducere solerent. Quidquid sit de hac conjectura, probabiliter contendimus, quod uni eademque Abimelecho fuerint ab aulicis commendatæ Sara et Rebecca; quam posteriorem ipse ignoravit uxorem Isaac, donec videret ipsum cum illa familiaris agentem seu jocantem, γ . 8.

Inst. Jacob et Esaü cum parentibus suis fuerant profecti in Geraram; ergo poterat novisse Abimelech ipsam esse conjugatam.

(Huit.)